



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

215. De modo rectè orandi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

I I. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth. 6. & 2.*

III. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth. 6. & 3. & 4.*

## MEDITATIO CCXV.

### *Didagma XXI. De modo rectè*

*orandi.*

I. **E**T cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth. 6. & 5.*

I I. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth. 6. & 6.*

III. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid

opus sit vobis, antequam petatis eum. *Matthaei 6. & 7. & 8.*

## MEDITATIO CCXVI.

*Didagma XXII. Formula precandi  
prescribitur.*

I. **S**ic ergo vos orabitis: Pater noster, qui  
Ses in caelis: sanctificetur nomen tuum.  
Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua,  
sicut in caelo, & in terra. *Matth. 6. & 9. & 10.*

II. Panem nostrum supersubstantialem  
(quotidianum *Luc. 11. & 3.*) da nobis ho-  
die. Et dimitte nobis debita nostra, sicut &  
nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne  
nos inducas in tentationem, Sed libera nos  
à malo. Amen. *Matth. 6. & 11. 12. 13.*

III. Si enim dimiseritis hominibus pec-  
cata eorum, dimittet & vobis Pater vester  
caelestis delicta vestra. Si autem non dimi-  
seritis hominibus, nec Pater vester dimittet  
vobis peccata vestra. *Matth. 6. & 14. & 15.*

IV. Iterum dico vobis, quia si duo ex  
vobis consenserint super terram, de omni  
re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre  
meo, qui in caelis est. Vbi enim sunt duo vel  
tres congregati in nomine meo, ibi sum in  
medio eorum. *Matth. 18. & 19. 20.*

ME-